

VERENDE, OPTIME ILLIVS PATER! moerentem animum, in filii TVI similis iactura defixum, ad alia quodammodo auocem

DE

TEMPLO MORTIS

APVD LACEDAEMONIOS

Pauca quaedam, memoriae sponte se offerentia, in medium proferre. Fiat id sine vlllo eloquentiae apparatu, quippe qui non cadit in animum tanto moerore, quo meus ipse laborat, oppressum. Sufficit pi-um praestitisse officium. Inhumanum enim est, recte inquit Seneca, obliuisci amici sui, et memoriam efferre cum corpore.

* * * * *

§. I.

Saeculum fuit profanis gentibus, vt, quid sibi egregium et cum vtilitate publica coniunctum videbatur, in Deorum Dearumque numerum referrent. Non dicam de *hominibus*, de hominum vita bene meritis, ex quibus *Dii* fiebant; atque ideo iudicium meum premam de *triginta* deorum *millibus*, Helcidi dicentis:

τρεῖς γὰρ μύριοι εἰσιν ἐπιχθονὶ πολυβοτείρη, de *trecentis Iouibus* Varronis, de *orpheis diis* 360. ab Augustino moriente reiectis. Neque vero res naturales solum exempli caussa FLVVIVS Numine plenos esse dictitarunt, vtpote quibus ideo in Latina lingua adhuc genus *masculinum* haesit, quod beneficus quidam Deus fugientibus vndis inesse credebatur; verum etiam rebus a visu remotis, *virtutibus*, inquam, quas quidem serio colendas iudicabant, singularem Deam prae-
fe-